

loque vel hinc suo exemplo seculi pompas & fastum se-  
cundum doceant: persuadeantque populo, quod in mi-  
liria Christi plus querant lucra & gloriam seculi, quam  
paupertatem Christi; præsertim si populo innotescat,  
quod hæc non è patrimonio, sed solis proventibus Ec-

clesiasticis habeantur: quodque parentes humili domo,  
& tenui suppellectile tamquam homines tenuis aut me-  
diocri conditionis, contenti fuerint. Videri possunt  
quæ supra tit. 32. cap. 4. dicta  
fuerunt.

## TITULUS XXXV.

### De Immunitate bonorum Ecclesiasticorum.

#### CAPUT I.

Quam immunitatem jam pridem dederint  
Imperatores.

1. Immunitas à tributis data Ecclesiis à Constantino.
2. Immunitas à muneribus publicis indulta à Constantino.
3. Hæc immunitas rursus ab eodem Imperatore renouata.
4. Enixum studium Constantini ut hanc immunitatem Clericis asserat & quæ ejus ratio.
5. Ratio indulta immunitatis merito à Clericis notatur.
6. Ex ratione evincitur, eam esse immunitatem personalem.
7. Hæc prima Clericis indulta immunitas, & magis conveniens.
8. Immunitas à susceptione militum; & à vectigalibus pensandis ratione negotiationis; & quæ hujus ratio.
9. Quare aliquando Clericis indultum negotiari; & postea vetitum.
10. Immunitas à sordidis muneribus & Parangariis.
11. Quid sint Parangaria.
12. Quid intelligatur per sordida munera?
13. Privata Clericorum Patrimonia ordinariis tributis erant obnoxia.
14. Hanc limitationem probarunt Episcopi.
15. Terras Clericorum tributis fuisse obnoxias fatetur S. Ambrosius.
16. Soli Clerici nullum possidentes patrimonium erant immunes.
17. Omnes Ecclesiæ exceptis 4. majoribus erant tributis obnoxie regnante Theodosio juniore.
18. Neque sub Justiniano Imp. erant ab his immunes.
19. Officinas Clericorum à tributis non exemta.
20. Clodoveus Rex Gallia agris Ecclesiæ immunitatem indulsit.
21. Ludovicus Pius immunitate donavit Mansum Ecclesiæ.
22. Mansus Ecclesiæ dicebatur ipsa dos Ecclesiæ.
23. Continebat ordinariè 12. Bunnaria terra arabili.
24. Capitulare Caroli Calvi de immunitate hujus Mansi.
25. Non tantum Ecclesiis Parochialibus: sed & Monasteriis & Ecclesiis Cathedralibus hæc immunitas competebat.
26. Aliqui eam immunitatem contra mentem Imperatorum nimis restringebant.
27. Eorum restrictio rejicitur.
28. Immunitas ad omnes fundos Ecclesiæ extenditur.
29. Cur exciperetur constructio viarum & pontium.
30. Terra de novo ab Ecclesiis acquisita non gaudebant immunitate si ante fuissent obnoxia.
31. Gaudebant si ante fuissent libera.

Ub nomine Constantini Magni, qui primus inter Imperatores publice Christianam Religionem professus est, extat de immunitate Ecclesiarum egregia lex in Codice Theodosiano Lib. II. tit. I.

Leges. "Præter privatas res nostras, & Ecclesias Catholicas, nemo ex nostra jussione præcipuis emolu-  
mentis familiaris juvetur substantiæ, &c. omnes pen-  
sitate debebunt.

Hic Ecclesias Catholicas generaliter à rei tributariæ contributione eximit, fat clarum; fateturque ipse Jacobus Gothofredus; quam vis tredit eam postmodum persequentes Imperatores revocatam aut saltem temperatam esse; de quo infra

II. Extat apud Eusebium lib. 10. Hist. cap. 7. ejusdem Constantini Epistola ad Anulinum Africa Præfectum, quæ Clericos immunes à publicis functionibus esse mandat: "Eos homines (ait) qui intra Provinciam tibi creditam in Ecclesia Catholica cni Cæcilianus præest, huic sanctissimæ religioni ministrant, quos Clericos vocare consueverunt; ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conservari; ne errore aliquo aut casu sacrilego à cultu summæ Divinitati debito abstrahantur; sed ut potius absque ulla inquietudine propria legi deserviant. Quippe his summam venerationem divino Numini exhibentibus, maximum inde emolumentum Reipublicæ videatur accedere.

Refert S. Augustinus Epist. 86. ult. edit. responsum Anulini ad Imperatorem Constantinum, in quo hoc privilegium immunitatis expressum est his verbis: "Cum ab omni omnino munere indulgentia Majestatis vestræ liberati videantur esse Catholici, custodiri, tamen sanctitate legis, debitam reverentiâ divinæ legi inferant.

III. Verum hæc immunitas, quæ hic à Constantino indulta asseritur, est immunitas merè personalis sive à muneribus & functionibus personalibus; de qua extat & alia ejusdem Imperatoris sanctio in L. 2. Cod. Theod. De Episcopis & Clericis: "Qui divino cultui ministeria religionis impendunt (id est, hi qui Clerici appellantur) ab omnibus omnino muneribus excusentur: Ne sacrilego livore quorundam à divinis obsequiis avocentur.

Notat Jacobus Gothofredus, hanc legem esse omnino diversam ab ea de qua ipse Constantinus in citata Epistola ad Anulinum; uti & ab ea quæ refertur in L. 4. & 7. eodem titulo in Codice Theodosiano.

IV. Ex his autem toties iteratis legibus, liquet, quam enixo Constantini studio opus fuerit, (ait Gothofredus) ad firmandam semel hanc Clericorum Catholicæ Ecclesiæ immunitatem à muneribus civilibus: quæ tamen hæc æquissima ratione, quæ hic expressè redditur, nixa erat: Ne, scilicet, Clerici à divinis obsequiis avocentur. Quæ eadem ratio à Justiniano in L. 51. Cod. De Episcopis & Clericis, ubi immunitatem à tutelis Clericis indulget; uti notavimus parte I. tit. 2. cap. 6. num. 5.

V. Hic notent Clerici, non alia de causâ à muneribus publicis sibi immunitatem concessam, nisi ut Divinis Officiis sine impedimento vacare queant: quo monentur, juxta vocationem suam sedulo iis incumbere.

VI. Interim ex allegata ratione hujus immunitatis rectè

rectè colligit citatus Gothofredus, immunitatem munerum personaliam hic intelligi, non verò immunitatem patrimonialium.

VII. Hæc quidem immunitas personalis, tamquam ipsis Clericis magis conveniens & necessaria, ne à suis officiis avocarentur, prima est, quæ Clericis tributa fuit; uti ad L. 8. Cod. Theod. De Episcopis & Clericis, notavit Gothofredus; cui postmodum aliæ successerunt quæ in legibus subsequentium Imperatorum continentur; & magis onera realia, quam personalia concernunt: idèdque immunitates non tam personales, quam reales sunt; atque de his hoc titulo potissimum agitur.

VIII. Et quidem sub nomine Constantii Constantini Filii extat Constitutio in citata lege 8. quo Clericis conceditur immunitatem à militum transeuntium hospitio; item à vectigalibus pendendis ratione tenuis mercaturæ. Verba legis sunt: "Præterea neque hospites suscipiant. Et si qui de vobis alimonia causa negotiationis nem exercere volunt, immunitate potientur.

IX. Non mirum hic Clericis negotiationem exercentibus immunitatem indultam. Cum enim in ipsis Ecclesiæ exordiis nondum eæ essent Ecclesiæ divitiæ ut omnibus Clericis ad Divinum cultum necessariis sufficerent, oportuit quosdam Clericos alimonia causâ negotiationem aliquam modestam exercere, ne cuiquam graves essent sicuti & quosdam honesto aliquo officio victum sibi comparare, etiam sacris Canonibus probantibus, compertum est. Sed cum avaritia multorum hæc facultate negotiandi abuteretur, merito Clericis postmodum interdicta fuit; & Clerici Negotiatores à Partibus severè reprehensi; ut infra videbitur.

X. Extat Constitutio sub nomine Constantii & Constantii filiorum Constantini Magni in L. 10. Cod. Theod. De Episcopis & Clericis: quæ omnibus Clericis conceditur immunitas à sordidis muneribus. Verba sunt: Repellaturque ab his (Clericis) exaltio munerum sordidum. Quæ sunt hæc sordida munera, mox dicetur.

Insuper conceditur Clericis immunitatem generalem de quolibet negotiatione, notandâ ratione adjunctâ; verba sunt: Negotiatorum dispendiis minime obligentur, cum certum sit, quæstus quos ex tabernaculis (foran legendum tabernaculis) atque ergastariis (id est locis mercimoniis deputatis) colligunt, pauperibus profuturos.

Tertia immunitas conceditur à Parangariis his verbis expressa: Parangariarum quoque parilis modo cesset exaltio.

De Parangariis extat titulus in Codice Theodosiano libro 8. De Cursu publico, angariis & parangariis in Cod. Just. lib. 12. tit. 51.

XI. Angariæ & Parangariæ erant, jumentorum & plaustrorum præstationes ad transvectionem annonæ militaris, aliarumque specierum Fiscalium. Dicebantur autem Angariæ, si per viam rectam, ordinariam & Regiam faciendæ erant transvectiones. Parangariæ autem, quando viâ transversâ extra viam Regiam, ubi cursus publicus dispositus non erat. Vide notas Jacobi Gothofredi ad L. 4. & 15. Cod. Theod. De Cursu publico.

XII. Sordida munera de quibus in citata lege, etiam vocabantur munera extraordinaria; unde est titulus in Codice Theodosiano, De extraordinariis & sordidis muneribus.

Inter hæc sordida & extraordinaria munera erant etiam refectio viarum, instauratio pontium, & subjectio annonæ militaris; quemadmodum videre est in L. 40. Cod. Theod. De Episcopis & Clericis; quæ est Honorii Imp. ubi species nonnullæ munerum sordidorum exprimitur, à quibus Clericos immunes declarat, addita hac generali clausula: "Nihil præter Canonicam inclinationem, quod adventitiæ necessitatis sarcina repenti-  
na depoposcit ejus functionibus adscribatur. Re-

fertur hæc eadem constitutio, licet nonnihil mutilata in L. 5. Cod. Justin. De SS. Ecclesiis.

XIII. Hæc quidem quoad immunitatem à sordidis & extraordinariis muneribus sive impositionibus, at ab ordinariis tributis patrimonia Clericorum exempta fuisse non constat: imò isdem fuisse subjecta non obscure declaravit Constantius Imperator in L. 15. Cod. Theod. De Episcopis & Clericis. Verba legis sunt: "De his (sanè Clericis, qui prædia possident, sublimis auctoritas tua, non solum eos aliena jura nequaquam statuer, excutare, sed etiam his (in Codice Justiniano legi-  
tur pro his) quæ ipsi possident, eosdem ad pensanda  
fiscalia perurgeri. Extant hæc verba in L. 3. Cod. Justin. De Episcopis & Clericis.

XIV. Notatu dignum est, quod in ipsa Constitutio-  
ne, prout extat in Codice Theodosiano, dicatur, æquum visum fuisse Episcopis hoc Imperatoris Decretum, "Maximè (ait) cum in Comitatu Tranquillitatis no-  
stræ alii quoque, qui ex Hispania, atque Africa con-  
venerunt, probaverunt, id maximè justè (sive potius  
justitia) convenire, ut præterea (legendum præterea)  
juga & professionem (id est, rem professam apud cen-  
sum) quæ ad Ecclesiam pertinet, ad universa munia  
sustinenda translationeque faciendas omnes Clerici  
debeant adtinere.

XV. Et revera prædia Clericorum tributis & vectigalibus fuisse subjecta tempore etiam S. Ambrosii, ipse variis locis fatetur: "Si tributum peti (Imperator) non negamus, Agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicando-  
rum; nemo nostrum intervenit. Potest pauperibus  
collatio populi redundare. Non faciant de agris in vi-  
diam; tollant eos si libitum est, Imperatori non dono,  
sed non nego..... Solvimus quæ sunt Cæsaris Cæsa-  
ris, & quæ sunt Dei, Deo. Tributum Cæsaris est, non  
negatur Ecclesiæ Dei est, Cæsari utique non debet ad-  
dici.

Ex variis locis S. Ambrosii conflatus est Canon. 21. Can. 23. q. 8. in quo inter alia dicitur: Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesiæ Dei est. Et in Canone sequenti sub nomine Urbani Papæ scribitur: "Tributum in ore piscis, piscante Petro inventum: quia de exterioribus suis quæ palam cunctis apparent, Ecclesiæ tributum reddit.

XVI. Et in Evang. Lucæ scribens Ambrosius ait: "Et si tu vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis Regi nihil debere terreno, relinque omnia & sequere Christum.

XVII. Extat Constitutio Theodosii Junioris de an. 424. in L. 33. Cod. Theod. De Annonis & tributis; & extat licet nonnihil mutilata in L. 12. Cod. Justin. eod. tit.

In hac lege Theodosius omnes Ecclesias tributis subjectas dicit, exceptâ Ecclesiâ Theffalonicensi, addita insuper cautione, ne per fraudem sub obtentu hujus Ecclesiæ alii hac immunitate gaudeant. Verba, prout referuntur in Codice Theodosiano sunt: "Sa-  
cro sancta Theffalonicensis Ecclesiæ civitatis excep-  
tâ: ita tamen, ut apertè sciat, propriæ tantum-  
modò capitationis modum beneficio mei numinis  
sublevandum; nec externorum gravamine tributo-  
rum Rempubliam Ecclesiastici nominis abusione læ-  
dendam.

Capitatio, cujus hic mentio fit, non est ea quæ hominibus imponitur, sed tributum possessionis sive agro-  
rum; uti notavit Gothofredus in notis ad hanc legem 33. & etiam monet Antonius Perezius ad titulum Codicis De Annonis & tributis n. 35. qui & una observat, Ecclesias prædia possidentes à tributis non excusari, quibus ipsa prædia jam pridem fuerant subjecta: "Sola  
(ait)



„(ait) excipitur Ecclesia Thessalonicensis; & ideo quod  
„huic datur, ut immunitas sit à capitatione & tributo sua-  
„rum possessionum, non est porrigendum ad alias Eccle-  
„sias: non enim licet abuti nomine Ecclesiæ, evitando-  
„rum Canonum causâ, ut inde Respublica lædatur.

Eundem hujus legis sensum latius adstruit & probat  
Jacobus Gothofredus in notis ad eandem legem.

XVIII. Justinianus Imperator in *Novella 37*, volens  
Africanis Ecclesiis restituere bona ab Arianis ablata, ad-  
dit hanc clausulam: *Ut tamen publicas prois pensiones  
conferant*. Per pensiones hic intelligi tributa Principi sol-  
venda, dubium non apparet; & notat Cujacius in notis  
ad hanc Novellam dicens: „Eodem quo superior rem-  
„pore hæc etiam edita fuit Constitutio, ut Ecclesiæ  
„Africa bona sua à Vandalis seu Arianis occupata re-  
„cipiant, sub onere tributorum publicorum.

Addit deinde: „Ecclesias non fuisse olim immunes à  
„publicis collationibus certissimum est.

XIX. Idem Justinianus *Novella 43*, confirmat &  
renovat immunitatem jam pridem indultam mille &  
centum Officiis Ecclesiæ Constantinopolitanae, ut ex  
earum proventibus funerum sumptus ferre posset. Ver-  
ba ejus sunt: „Hæ igitur, ut immunes, & ab omni vecti-  
„gali maneant exemptæ, sancimus: Neque his ipsis Offi-  
„ciis, neque vectigalia imperantibus collegiis, quæ  
„istas præbent, quidquam damni sustinentibus, aut ul-  
„los titulos agnoscantibus.

Post hæc subiicit: „Ceteræ verò omnes hujus almæ  
„urbis quatuordecim regionum officinae, sive sacrosan-  
„ctæ alienj sunt Ecclesiæ, sive hospitalium, sive mo-  
„nasteriorum, sive orphanotrophiorum, sive ptochio-  
„rum, sive alterius cujuscumque domini, sive regiarum  
„domorum, sive aliquorum magistratuum, ampla, me-  
„dia, minuta ve officia administrantium, sive gloriosis-  
„simorum Senatorum, sive magnificentissimorum il-  
„lustrium, sive spectabilium cubiculariorum, sive ali-  
„quorum militis adscriptorum hæc inquam, omnes pu-  
„blice ipsis imposita præsent vectigalia, & omnia alia  
„tum faciant, tum impleant quemadmodum quemque  
„in suo collegio facere æquum est, *semperque per Colle-  
„giæ præfectos in publicum persolvant*: nemine queunte  
„ea de causa inniti privilegiis aut ejusmodi alia uti ex-  
„cusatione.

Notandam hujus negatæ immunitatis addit ratio-  
nem. „Neque enim sustinemus aliorum onus ad alios  
„deferri, aut tam immitem proponere formulam, ut  
„quotidie vectigalia augeantur, & (quemadmodum  
„edocti sumus) quadruplo aut quintuplo, adeoque eti-  
„am decuplo majora introgentur, cum nihil tam magno  
„studio tamque serio affectemus, quam ne novo quif-  
„quam vectigali oneretur.

XX. Sub idem pene tempus quo hæc à Justiniano  
decreta fuere, de Clodovæo Galliarum Rege testatur  
Synodus Aurelianensis *1. Can. 5*. etiam agris quos ipse  
Ecclesiis dederat, immunitatem concessisse. „De Obla-  
„tionibus vel agris (ait) quos Dominus noster Rex Ec-  
„clesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc  
„non habentibus Deo inspirante contulerit, ipsorum  
„agrorum vel Clericorum *immunitate concessâ*, id esse  
„iustissimum definimus, &c.

Tomo 5. Concil. generalium editionis labeanæ *col.*  
*827*, refertur constitutio sub nomine Chlotarii Regis  
Galliarum quâ immunitatem lat amplam Ecclesiis tri-  
buit, sive confirmat his verbis: „Agraria, pascuaria vel  
„decimas porcorum, Ecclesiæ pro fidei nostræ devo-  
„tione concedimus. Ita ut actor aut decimator in re-  
„bus Ecclesiæ nullus accedat Ecclesiæ vel Clericis nullo  
„tam requirant agentes publici functionem, qui avi-  
„aut genitoris; aut germani nostri *immunitatem me-*  
„ruerunt.

Credit Ludovicus Thomassinus *De Disciplina Eccle-*

*si parte 2. lib. 3. cap. 5*. ad hanc potissimum Chlotarii  
Constitutionem reflexisse S. Gregorium, ubi Theodo-  
rico & Theoberto Regibus Francorum scribit *lib. 7.*  
*Epist. 115*. „Audivimus autem, quia Ecclesiæ præ-  
„dia tributa nunc præbeant, & magna super hoc admi-  
„ratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur acci-  
„pi, quibus etiam licita relaxantur. „Quasi S. Gregorius  
miraretur, immunitatem à Regibus Galliarum Ecclesiis in-  
dultam adeo in Regno illo conculari.

Si hæc sit revera Constitutio Chlotarii I. merito ob-  
servat Thomassinus, eam sub finem vitæ ab eo editam  
esse. Sub initium enim Regni eum voluisse Ecclesiis im-  
munitatem adimere constat ex Gregorio Turonensi *lib.*  
*4. Hist. Francorum cap. 2*, atque Episcopos Regi consen-  
sisse excepto Episcopo Turonensi *Injurioso*. Verba Gre-  
gorii sunt: „Denique Chlotarius Rex, indixerat, ut om-  
„nes Ecclesiæ Regni sui tertiam partem fructuum sisco dis-  
„solvent. Quod licet inviti, cum omnes Episcopi con-  
„sensissent atque subscripsissent, viriliter hoc beatus  
„Injuriosus respuens subscibere dedignatus est, dicens  
„*Si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum ve-*  
„*lociter auferet: quia iniquum est ut pauperes, quos tuo*  
„*debes alere horreo, ab eorum ssepe tua horrea replantur.*  
„Et iratus contra Regem, nec vale dicens abcesit,  
„Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem beati  
„Martini, misit post eum cum muneribus veniam pre-  
„cans, & hoc quod fecerat dampnans, simulque rogans,  
„ut pro se virtutem beati Martini Antistitis exoraret.

At de Theoberto narrat idem Historicus *lib. 3. cap.*  
*25*. „Omne tributum quod in Fisco suo ab Ecclesiis in  
„Arverno litis reddebatur, clementer indulsit.

XXI. Subsequentibus Galliarum Reges Ecclesiarum  
immunitatem non tantum probaverunt; sed & amplia-  
runt, uti ex eorum Capitularibus haud obscurum est.

In Capitulari Ludovici Pii anni 816. *cap. 10*, legitur:  
„Sancitum est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus in-  
„teger absque alio servitio attribueretur. Et Presbyteri  
„in eis constituti non de decimis, neque oblationibus  
„fidelium, non de domibus, neque de artriis vel horis  
„juxta Ecclesiæ positis, neque de præscripto manso  
„aliquod servitium præter Ecclesiasticum faciant. Et  
„si quid amplius habuerint, inde Senioribus debitum  
„servitium impendant.

Refertur quoque *lib. 1. Capitular. cap. 85*. extratque  
apud Gratianum *Caus. 23 q. 8. Can. 24* sed mutilatum.

XXII. „Ecclesiæ cujuscunque mansus dicebatur fundus  
„hoc est, certus modus cum structura plerumque ad  
„mansionem, ait Jacobus Sirmondus in notis ad Ca-  
„pitularia Caroli Calvi. Vel ut notat Du Cange in suo  
„Glossario, Verbo *Mansus Ecclesiasticus*, dicitur ea  
„agri portio quæ ipsi Ecclesiæ in dotem assignari sole-  
„bat, vel Presbytero Ecclesiæ defervienti cum aliquot  
„mancipiis.

Quidquid sit, hoc constat, Mansum Ecclesiæ Re-  
gum Edictis immunitate donatum fuisse; sive sancitum  
fuisse, unicuique Ecclesiæ unum mansum integrum abs-  
que ullo servitio attribui, ut loquitur Sirmondus; qui &  
addit: „Quare de hoc manso centum aut aliud quodvis  
„servitium exigere nefas fuit. Ea immunitas mansi diceba-  
„tur, ut titulo 40. ca. 9. *Seniores immunitatem de manso*  
„*ad Ecclesiæ dato conferrent*.

XXIII. Mansus hic ordinariè constabat 12. *bunnariis*  
terrarum arabilis cum aliquot mancipiis. Unde in legi-  
bus Longobardorum *lib. 3. tit. 1. cap. 46*, legitur „Quod  
„si forte in aliquo loco Ecclesia sit constructa, quæ ra-  
„men necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volu-  
„mus, ut secundum jussionem Domini ac Genito-  
„ris nostri, unus mansus cum XII. *bunnariis* de ter-  
„ra arabili ibi detur, & mancipia duo à liberis ho-  
„minibus, qui in eadem Ecclesia officium audire de-  
„bent, ut sacerdotibus ibi possint esse, & divinos cul-  
tus

„tus fieri, quod si hoc populus noluerit, destrua-  
„tur.

Et inter ea super quibus à Decanis per singulas Paro-  
chias inquiri jubebat Hinc marus Remensis erat hic ar-  
ticulus: „Si habeat mansum habentem *bunnaria duode-*  
„*cim*, præter camiterium & correm; ubi Ecclesia & do-  
„mus ipsius continetur, aut si habeat mancipia quatuor,  
„Habetur tomo 8. Concil. general. *col. 573*.

Idipsum habetur in formula Inquisitionis faciendæ  
ab Episcopo visitante Parochias, relatâ à Reginone *lib.*  
*1. art. 13*.

XXIV. Immunitas hujus mansi occurrit quoque in  
Capitulari Caroli Calvi de anno 865. *tit. 37. cap. 11*.  
„Ut de uno manso ad Ecclesiæ dato nullus census,  
„nec caballi pastus à Senioribus requiratur, sicut in præ-  
„fato Capitulari continetur. Sed neque de testulis ac  
„vineolis pro loco sepulture ad easdem Ecclesias datis,  
„neque de decimis, sicut in Canonibus & in præfatis  
„Capitularibus continetur.

XXV. Hæc Capitularia unicè videntur concernere  
Ecclesias Parochiales & rurales, earumque Presbyteros  
& terras; quandoquidem non loquantur nisi de servi-  
tio Senioribus, hoc est. Toparchis & Dominis Pago-  
rum exhibendo; uti rectè notavit & ostendit Ludovi-  
cus Thomassinus *De Disciplina Ecclesiæ parte 3. lib.*  
*3. cap. 5*. Hi enim Seniores sive Toparchæ passim ex  
omnibus terris & à familiis servitutem aliquam præten-  
debant.

Verum licet in citatis Capitularibus de Monasteriis  
& Ecclesiis in civitatibus positis, mentio non fiat; eo  
quod hæc non ita essent Toparcharum illorum servitu-  
tibus & vexationibus exposita, certum nihilominus est,  
non minore immunitate fuisse donata.

Jura illa seu servitia quæ Domini à Presbyteris re-  
quirebant, exprimuntur in Concilio Trosleano *cap. 6*.  
Conqueritur enim quod „aliqui, exactiones census ab  
„ipsis Sacerdotibus exquirant, & xenis, ac pastis, vel  
„paraverendis, seu caballorum saginationibus presby-  
„teros affligant.

XXVI. Et quidem cum aliqui prætenderent, „Non  
„plus immunitatis (Monasteriis concessæ) nomine  
„complexi, quam claustra Monasterii, cætera quamvis  
„ad easdem Ecclesias vel Monasteria pertineant, extra  
„immunitatem esse; declaraverunt Imperatores, quod  
omnes terræ ad Monasteria pertinentes eadem immu-  
nitate gauderent. „Volumus atque decernimus ut om-  
„nes intelligant non solum claustra Monasterii vel Ec-  
„clesiæ, atque castitia Ecclesiarum sub immunitatis de-  
„fensione consistere, verum etiam domus & villas, &  
„septa villarum, & piscatoria manu facta & quidquid  
„fossis aut sepibus vel etiam alio clausularum genere  
„præcinctur, eodem immunitatis nomine contineri.  
„Ita legitur *lib. 5. Capitular. cap. 179*.

XXVII. Hæc generalis immunitas luculenter rur-  
sus exprimitur *lib. 6. Capitular. cap. 109*. „Possessiones  
„ad Religiosa loca pertinentes nullam descriptionem  
„agnoscant, nisi ad constitutionem viarum vel ponti-  
„um; si tamen intra eadem loca habuerint possessio-  
„nes. In aliis verò omnibus habeant integram immu-  
„nitatem.

XXVIII. Quod hic adjicitur de constitutione via-  
rum & pontium, idipsum jam pridem edixerat Justinia-  
nus Imperator *Novella 131. cap. 5*, ubi Ecclesiarum præ-  
dia & latifundia à sordidis functionibus & extraordi-  
natis oneribus immunita fecit, exceptis publicarum  
viarum, pontium aliorumque publicorum operum re-  
stitutionibus & ædificationibus; idque adinstar alio-  
rum possessorum. Ante Justinianum Valentianus III.  
in *Novella 21*, inter Theodosianas ab his Clericos im-  
munes non esse decrevit; neque sordidis muneribus an-  
numeranda. Vide Zypæum *Consult. 1. De Immunit. Ec-*  
*cl. Van Espen Jur. Eccl. P. II*

*elef. num. 3*, ubi latè ostendit, Ecclesiasticos teneri ad  
reparationes viarum quæ fundis Ecclesiæ adjacent, hæc  
esse onera innata rebus, atque intinfeca; quamquam  
executricem Magistratus manum requirant.

Idem Valentianus vetuit Clericos *negotari*; atque ita  
respectu ipsorum omnem immunitatem à tributis à  
mercatoribus pendendis cessare.

Nec immerito, scitur enim quam difficulter in mer-  
catura modus teneatur; & quàm avaritia, lucri ardor,  
aliaque vitia hic se immisceant.

Et quidem de Clericis istius temporis scribit Sulpiti-  
us Severus *lib. 2. Hist.* „Tanta hoc tempore animos eo-  
„rum habendi cupido velut tabes incensit: inhiant  
„possessionibus prædia excolunt, auro incubant, *emunt*  
„*venduntque*, quæ stui per omnia student. Sicut S. Hie-  
„ronymum monuisse Neporianum: *Negotiatorem Cle-*  
„ricum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum,  
„quasi quendam *pestem* fuge.

XXIX. Licet terris Ecclesiæ immunitas esse, tamen  
si novæ terræ ad Ecclesiæ pervenirent, censui subje-  
ctæ, hæc immunitate non gaudebant; uti sat clarè expref-  
sum est *lib. 3. Capitular. cap. 86*. „Ut de rebus unde cen-  
„sus ad partem Regis exire solebat, si ad aliquam Eccle-  
„siam traditæ sunt, aut reddantur propriis heredibus,  
„aut qui eas retinuerint, illum censum persolvat.

Rursus *lib. 4. cap. 37*. „Quicumque terram tributa-  
„riam unde tributum ad partem nostram exire solebat  
„vel ad Ecclesiæ vel cuilibet alteri tradiderit, si qui  
„eam susceperit, tributum quod inde solvebatur, omni  
„modo ad partem nostram persolvat; nisi forte talem  
„firmitatem de parte dominica habeat per quam ip-  
„sum tributum sibi per donatum possit ostendere.

Finalis clausula ostendit, opus fuisse speciali privile-  
gio seu indulto, quo terræ tributariæ ad Ecclesiæ de-  
volutæ, à tributo cui antea erant subjectæ, eximeren-  
tur.

XXX. Ostendunt tamen citati textus, nonnullas  
fuisse terras, tributo vel censui non subjectas, hæcque si  
ad Ecclesias pervenissent, immunes etiam mansisse; ac  
potuisse Ecclesiæ eas liberè acquirere & retinere; uti  
bene advertit Thomassinus citato *c. 5. n. 7*.

XXXI. Hæc sunt quæ diversis temporibus de immu-  
nitate bonorum Ecclesiæ jam pridem Principes decre-  
vere: Quibus addi potest recentior Fred. II. Imp. Con-  
stitutio relata in Authentica, ITEM NULLA *Cod. De*  
*Episcopis & Clericis*. „Item nulla Communitas, vel per-  
„sona publica vel privata collectas, vel exactiones, an-  
„garias vel perangarias, Ecclesiis vel aliis piis locis vel  
„Ecclesiasticis personis imponere, aut invadere Eccle-  
„siastica bona præsumant. „His Imperatoriis Ordina-  
tionibus nonnulla quæ in Principum nostrorum Edi-  
ctis, quibus nunc utimur, consona esse, & ex his origi-  
nem suam sumplisse, capite sequenti annotabimus.

## CAPUT II.

Quid Decretales, & hodierna Belgii consuetu-  
do circa hanc immunitatem statuunt?

1. Immunitas mansi ipsius Ecclesiæ asserta in *Cap. 1. de*  
*Cens.*
2. Quis auctor hujus Capituli.
3. Quomodo hic assertatur immunitas Dotis ipsius Ec-  
clesiæ.
4. Secundum aliquos vi hujus Decretalis sola dos Eccle-  
siæ immunitate gaudet.
5. Hæc opinio consona videtur Synodo Valentiana.
6. Alii credunt vi hujus Decretalis omnia bona Eccle-  
siæ fuisse immunita & sola patrimonialia excepta.